

cessitatis faciem vere præferant. Quo spectat æstimatio graduum dignitatis, qua necessum sibi ac integrum esse vindicant quidam in dignitate constituti, exclusis levioris commatis hominibus, solitarie communicare, uti sæpe sunt Milites, Nobiles &c. qui (α) eo, quod non sunt parochiani, nec adsunt ob domicilii indigentiam, nisi per muneris competentiam; adsunt non multi, sed pauci; ad Tempus, non in perpetuum &c. nolunt se teneri cum Ecclesia communicare: (β) contra jus dispensandi circa circumstantiam loci, ac communionis cum aliis apud superiores quarunt, aut (γ) metum incommodorum minitantur e. g. secessum ad ministros verbi, qui non sint ejus Parochiæ, aut (δ) aliud quid querulantur, avocationem sc. animi ab omni devotione, consequenter conscientiæ angorem, & alia forte. Ad quæ impræsentiarum reponimus, hæc omnia casum necessitatis non inferre; omnia ista Corinthi etiam allegari, & Paulo opponi potuisse, tanquam in urbe cum Athenis, ut scriptores volunt, Commetropoli, totiusque Achajæ principe, in qua non divitum solum, sed & potentiorum eximius erat confluxus ex tota Græcia, adeo ut Cicero eam in Orat. pro Pompejo sive lege Manilia non erubescat appellare *lumen totius Græciæ*. videatur quoque Strabo l. 8. & Florus l. 2. c. 16. Hæc omnia tandem diluit quoque Judicium Rostoch. Theol. Facult. ad quæstiones Sundenfis R. Ministerii de communione privata datum, quod utinam publici juris fiat!

PARS III. PRACTICA.

Accommodans

Textum ad modernum Ecclesiæ Usus.

§. 1. **E**xpendendum hic venit, quid hodiernum fiat, & numne moderna privata Communio, extra Necessitatis casum suscepta, pro vero peccato Corinthiaco secundum substantialia spectato, merito sit habenda, consequenter & pro separatismo (si apud bene monitos ac rectius a Sp. S. informatos nihil ominus cum animi cæteros fastidientis ac superbientis protervia continuetur,) judicium Dei ac æternam mortem promerentur?

§. 2. Ne autem, quid sic hodie, & quam male fiat, nostris exprima-

prima-